

dem Empfange der heiligen Sterbesacramente betete er mit lauter Stimme den Hymnus: »Jesu, nostra redemptio.« Er starb am 20. Mai 1698, im achtzehnten Jahre seiner Abtswürde. Sein Grab ist nicht bekannt; aber seinen Namen finden wir eingegraben unter dem noch erhaltenen Muttergottesbilde auf dem Hauptportal. Dieses Bild hat Henn aus Dankbarkeit gegen die allerseligste Jungfrau, deren Hülfe und Fürbitte er das glückliche Gelingen seiner Bauten zuschrieb, hier aufgestellt mit dem Chronicon:

Magnae VirgInIs aVspICIIs abbas aLeXanDer reparaVIt.

In der Metropolis Trevirensis von Brower und Masen hat ihm der Fortsetzer und Herausgeber dieses Werkes, Chr. von Stramberg, folgendes Denkmal gesetzt:

Vir incomparabilis, vix sibi similem habiturus, lumen Ordinis et corona Abbatum.

## Ephemerides

Rerum in Monasterio Mellicensi et in Austria nostra gestarum a die 31. Julii anni 1741 usque ad annum 1746,

a P. Hieronymo Pez, Bibliothecario Mellicensi, conscriptae  
et a P. Vincentio Stauffer, ejusdem Bibliothecae Praefecto, editae.

(Continuatio, vide fasc. I. sub. ai. pg. 82—87.)

17. Julii. Mellicium Ingolstadio venire obsides illi Austriaei, quos Galli captivos secum abduxere, remissa penitus illa summa pecuniaria urbi Steinio, Cremosio aliisque adiacentibus locis, quam Galli anno priore ab ipsis exegere. Hanc relaxationem obtinere obligatus fuit Generalis Minuzzi Bavaricus pro sua liberatione et Bavarorum in capitulatione Lincensi, sed tamen in hunc usque diem obsidum libertas tandem secuta est, ipse Comes Kevenhiller ultra 1000 fl. ipsis Ingolstadium transmisit, ipsique obsides multas impensas pro sua sustentatione facere coacti fuere. Certum est, nostros obsides per 3 anni partes detentos, dictum fuisse a Praefecto militum Ingolstadii, eos ex pura gratia Imperatoris sui fuisse relaxatos, non autem ex debito, quod tamen falsum est. Pro his vicissim Galli in Linz capitulantes retenti liberi dimissi sunt, et per nostrum exercitum Bavaricum ad suos Gallos abire 22. Junii. Item mihi pro certo narratum fuit, Decanum Badensem in Austria, oriundum ex Palatinatu superiori, et subditum olim Bavaricum contra Reginam nostram calumniose publice locutum fuisse, et asseruisse, Ducem Bavariae ius habere in successionem ditionum Austriaearum, imo in publica processione in Festo Corporis Christi orationem in benedictione cum Venerabili Sacramento dari solitam pro Principe terrae, omissa Regina nostra, in Carolum VII Imperatorem dedisse; re ad Aulam delata et comperta amotus fuit a beneficio, bonis ejus fisco addictis iussus est extra omnes terras haereditarias abire. Idem Decanus se ipsum prodidit, quod habeat occultas litteras ex Bavaria.

E novis Viennensibus: e Diario exercitus nostri in Bavaria ad diem 10. dictum, quod Galli duos nostros Croatas captivarint, et inaudita crudelitate eorum capita in formicarum acervos collocarint, et in pedibus illos suspenderit. Item milites nostros in confiniis Austriae et Bohemiae ob metum invasionis Gallicae constitutos, postquam Galli ex Pisek usque Pragam a nostris pulsi sunt, ad exercitum nostrum Bavaricum revocatos, uti et magnam partem ex praesidio Monacensi, item quod multi e nostris ad angulum, ubi Isara in Danubium influit, abire jussi sunt, cum ibidem Bavari et Palatini, Galli vero soli in altera parte Danubii constiterint. D. Bernklau cum suo corpore ad Licum usque Augustam pervenit ad defensionem Comitatus Burgaviensis, qui est ditiosis Austriae inter Licum et Illeram fluvios, nihil autem de hoste ibidem viso, is reversus est. Augustenses nostros homines praesertim Lucanos summa cum admiratione spectarunt, inter quos aliqui 70 et 80 annos aetatis habuere, optime exercitati in armis sicut homines 20 vel 30 annorum, et praeter cetera arma habuerunt etiam lanceas, genus armorum nunc pene ignotum inter milites Europaeos. Item e Novis Viennensibus: 30. Junii. Berolini pax inter Reginam nostram et Regem Porussiae sollemniter publicata fuit. Item Neuhausio et Znoyma milites vulnerati in proelio Czaslaviensi et iterum persanati ad exercitum nostrum ante Pragam positum abierunt laeti et animosi. Item 8. Julii Regina nostra adstitit anniversariae festivitati translationis miraculosae imaginis B. V. Mariae de Poetsch in Hungaria Viennam factae et habitae a Cardinali Kollonitsch. Item Regina instituit devotionem in capella animarum defunctorum apud PP. Augustinianos Viennae per 9 dies durantem in honorem B. V. Mariae, S. Michaelis et SS. militum pro justitia occisorum pro liberatione animarum e purgatorio et benedictione ulteriori armorum suorum.

16. Junii. Galli trans Danubium castra habebant, inde Hangersberg et Winzer et, ut eorum desertores asserunt, constanter propter continuas Alarmes a nostris excitatos inquieti sunt, et plurimum fatigati. Bavari vero et Palatini apud Platling sua habuere castra; quidam Bavari Isaram transeuntes, ut nos explorarent, a Croatis repulsi sunt, quibusdam eorum occisis et vulneratis.

20. Junii. D. Menzl iussus est ire ad Isaram cum suis militibus.

24. Junii. Solemne Te Deum laudamus in nostro exercitu Bavarico habitum, summam Missam celebrante Comite de Lamberg, Suffraganeo Episcopi Passaviensis.

18. Julii rursus Mellicium venere captivi Galli 100 fere numero, deducti ab Hussaris, qui Galli in oppido nostro in hospitio in stabulum per noctem collocati simul fuere. E novis Viennensibus: Nihil admodum de nostro exercitu in Bohemia nuntiatum est nisi quod pars majorum tormentorum bellicorum Vienna ad eum allata sit, et quod fere quotidie Gallico ex exercitu ultra 100 deficiant abeuntes partim etiam cum equis ad nostrum exercitum, partim in Saxoniam, quodque Galli continuo pergant se undique sub tormentis suis Praegae fortiter munire.

E novis Gallicis: Inter Suecos et Russos agitur iterum de pace ineunda. Galli succursum 3 Batallionum Pragae accipiunt, omnia sua impedimenta et pretiosa ex urbe Praga educunt in castra sua. Comes Khevenhiller noster 13 obsides ex urbe Monacensi aufert, nonnisi in ea praesidio circiter 800 militum relicto, minatus a se occidendos hos obsides et totam terram vastandam, si Bavari rebellaverint.

Londino scriptum: Rex Britanniae summo cum gaudio nuntium accepit initiae pacis inter Reginam nostram, et Regem Porussiae, suumque Legatum D. Mindford ejus negotiatorem magnopere remuneraturum se promisit. Item Regem Persarum nostrae Reginae magnam pecuniae vim submisisse. Galli Dunkerkae ad 20000 militum congregant, eumque portum undique muniunt. Generalis Seekendorf et Toering Francofurtum abeunt ad Carolum VII. Angli cum navibus suis in portibus Nizze et Villafrancha, pertinentibus ad Regem Sardiniae, excubant contra Hispanos, quos et transitu per terram prohibent in Italiam, parati etiam milites et tormenta bellica exponere in terram contra eosdem Hispanos, si necessitas exegerit. Vienna scriptum in novis Gallicis: Reginam nostram in Schoenbrunn palatio suo se frequenter divertere equitando. Item Gallos in Bohemia se voluisse nostris dedere per capitulationem, qua promiserunt, se intra quatuor annos non pugnuros contra Reginam nostram, si ipsis cum omni honore et impedimentis inde discedere liceret, verum hanc petitionem a nostris rejectam fuisse, ob quod Galli exasperati etiam desperati se contra nos defensuros aiebant, et maxime munierunt montem Weissenberg prope Pragam, et foveas luporum, vulgo Wolfsgruben, uti annis prioribus in Philippsburg fecere, foderunt. Nostri nil tale curantes parant se ad proelium contra Gallos. Viennae jussum est ab Aula, ut omnes Dynastae, nobiles, ac cives suos equos tradant ad convehenda tormenta bellica in Bohemiam et qui sponte noluerunt iis vi ablati fuere, uti et hominibus in via publica pergentibus. Nostrum Monasterium etiam multos tales equos suppeditare debuit. — Ex iisdem novis Gallicis Vienna scriptum, Regem Porussiae accessisse ad nostrum exercitum in Bohemia et manducasse cum Magno Duce Florentino, ejusque fratre Carolo, exercitus nostri duce, et Comite de Königsek et cum illis de pace ineunda tractasse, ac magnum Magazinum nobis cessisse. Post hoc pax publicata fuit, et 6000 Saxones Gallorum foederati et Pragam euntes in auxilium iis jussi sunt redire. Noster quoque Generalis Baronay missus in civitatem Carlsbad in Bohemia ad captivandum quosdam Praefectos nobiles militum Porussicorum itidem mandatum accepit, ut infecto negotio reverteretur. Comes de Stairs, Anglicus apud Patavos legatus extraordinarius, una cum Reginae nostrae Legato acriter contendit a Batavis, ut cum iis foedus ineant, et se illis intime jungant in his circumstantiis, a quo tamen Fenelon Galliae Legatus eos dehortari nititur. Pro certo etiam relatum fuit, Comitem Bellisle, Gallum, prost proelium Czaslaviense ad Regem Porussiae venisse eique de victoria obtenta gratulatum, simul petisse, ut Rex suas copias cum Gallicis conjungeret; verum Rex ei respondisse

fertur, se vi foederis cum illis initi fecisse, quod debuit, ceterum ad nihil se amplius obligatum, et cum Marschallus de Broglio, dux exercitus Gallici, ipsi Regi in proelio Czaslaviensi non succurrerit, etiam ipsum nolle nunc Gallis a nostris Austriacis oppugnatis subvenire.

E novis Gallicis Rex Prussiae e Bohemia redux 3. Julii Vratislaviam venit cum magno applausu civium haereticorum, qui illum vocabant Victoriosum et pretiosum Patrem Patriae. Carolus VII celebrat sollemniter Francofurti in Ecclesia S. Bartholomaei diem nominalem conjugis suae Amaliae, incidentem in diem 10. Julii, ad quem adventit Elector Coloniensis.

Lissabona scriptum, Reginam Portugaliae, Mariam Annam, Leopoldi Caesaris filiam, aegrotante Rege interim regno moderari. In Bohemia Saxones equites 900 et 100 Uhlanis nostris Hussaris et 1000 equitibus Germanis Cataphractis appropinquantibus fugiunt. Ex iisdem novis Gallicis Vienna relatis: Regem Porussiae duabus de causis fecisse cum Regina nostra pacem, prima, quod prosequendo bellum contra nos timuerit Rex, ne a Russis invadetur, secunda, quod crediderit suos foederatos nempe Bavaros et Gallos aliosque ipsum voluisse exponere solum maximis periculis et pugnis cum Regina nostra. In Saxonia fama est, Saxones e Bohemia domum reversuros, atque ita tractatui pacis accessuros. E litteris mercatoris Passaviensis ad Stadlerum Mellicensem nostrum 20. Julii datis Passavio: Arx quaedam Bavarica munita diu a praedonibus, collectis ex desertoribus utriusque exercitus, iaculatoribus, lictoribus et Schmidgesindl possessa, unde haec faex hominum multas praedas ex Bohemia et agro Passaviensi egit, saepiusque a nostris militibus irrito conatu oppugnata, tandem expugnata fuit 17. Julii, et solo aequata a nostris, quorum erat numerus duo regimina cum 1000 Panduris, Croatis et Hussaris eo missis cum tormentis, quam arcem nostri per assaultum ceperunt, aliquot ex sui praedonibus occisis, 20 eorum fuga elapsis, reliquis 300 numero captis, quorum duces erant duo Barones cum 200 mulieribus et pueris, qui omnes Passavium abducti fuere. Baro de Trenk dux Pandurorum ex nimio aestu et ardore in hostes aus gedaempften Pulver in dem Schloss in facie et manibus et fere halbgebrattener et incensus in hac pugna fuit, et Passavium pro cura corporis ductus. Porro Panduri praedas suas Passavii vendentes levi pretio exponunt, prohibitum tamen Passaviensibus a Principe suo, ne quid de iis emanet. Galli successive et per partes e suis castris versus Ingolstadt, et alia loca fugiunt, quibus Capitaneus Menzl cum 2000 Hussaris impediendis et fugendis missus fuit et jussus super Isaram pontem iacere.

E novis Viennensibus Passavio scriptum 21. Julii Baro de Trenk cum corpore magno Peditum (scilicet ut interpretor Pandurorum, quibus ipse praefuit in hoc bello Bavarico) et 600 Hussaris Passavio secum acceptis tormentis et Mörser die 17. Julii arcem Diessenstein. aggressus est, atque eiaculando ita tractavit, ut altera die 18. scilicet Julii dedere se coacta fuerit. 19. Julii Baro de Trenk, iacens in lecto, utpote in

visitatione camerae cujusdam in arce per cadentem scintillam ignis in vasculum pulvere nitrio repletum in facie et manibus igne laesus, Passavium adductus est, secumque adduxit seniorem Baronem de Schrenk, arcis Praefectum et captivatum cum alio quodam coriphaeo de Osterhofen (quem Canonicum fuisse Praemonstratensem, et postea captivum traditum Episcopo Pataviensi in custodiam in sequentibus novis Viennensibus scriptum est), qui Baro de Schrenk itidem igne ex pulvere orto graviter laesus fuit, ut et Baro de Drexel et Junior Baro de Schrenk cum scriba iudiciali, qui omnes ad custodiam Oberhaus Passavii dati fuere. Cum his quoque ut praeda advenerunt 42 boves et vituli. Captivati quoque sunt alii iaculatores, existentes in arce praedicta, qui ad exercitum nostrum ducti fuere. Panduri magnas ex hac arce, quam Bavari inexpugnabilem credere, praedas cepere, eo enim res multae securitatis causa translatae fuerant. Arces aliae haud procul Diessenstein, scilicet Gravenau et Bernstein, aliaque loca rebellibus Bavaris obsessa repurgata ab hostibus solo aequata sunt, et capti condemnati fuere in vinculis mittendi Viennam, et inde in Hungariam in poenam rebellionis.

23. Julii una Bataillon legionis Bareythicae, quae diu urbem Viennensem per modum praesidii tenebat, hinc Triestum abiit, et singuli gregarii milites uno Sibenzehner, officiales aureo donati a Regina fuere. Eodem die Regina, ex Schönbrun in urbem pergens, cum sorore sua incidit in sacerdotem portantem Sacrum Viaticum ad infirmum, quem cum vidisset, descendit Regina cum illa ex curru, et ceteris comitibus, comitata est sacerdotem pedibus usque ad domum infirmi, in atrio domus genuflectens mansit, et sacerdotem redeuntem usque ad ecclesiam iterum comitata est et accepta benedictione in palatium Viennae regressa est, magna cum aedificatione populi imitata Rudolphum I Imperatorem. Apud Bohemicum exercitum nostrum tandem tertia et reliqua pars rei tormentariae Vienna advenit, Galli ex urbe Pragensi in Licanos nostros ultra horam e tormentis eiaculantur, nemine uno illorum aut vulnerato aut occiso. Continuat desertio Gallorum ad nos et Viennae adveniunt desertores Galli, Bavari, et Palatini.

E novis Gallicis e Ferara et Boulogne: Exercitus Hispanus transiit fluvium Panaro, et postea unam partem Padi fluvii, quibus Austriaci nostri Hussari magnum Magazinum eripuerunt, et Hispani inter duo brachia Padi se collocant, ut facilius rem annonariam suam habere possint. In exercitu Regis Sardiniae 200 cum armis deseruere. Dresdena: 4 Cohortes rei tormentariae Dresdenam reversae. Landavium in Palatinatu inferiori a Gallis optime providetur metu obsidionis. Berolino scriptum: 12. Julii Regem Borussiae cum fratribus suis, Principibus Augusto Wilhelmo, et Henrico, aliisque officialibus Berolinum venit, ovans et valens ex Bohemia post conclusam cum Regina pacem. Item 8. Julii, in eadem urbe sollemne Te Deum laudamus actum in gratiarum actionem initae cum Regina nostra pacis. Item ex iisdem novis Bruxellis: Ostendae tertia pars Anglorum advenit. Carolus VII, ut scribitur Francofurto, novos

officiales militares creat, idem homagium ab urbibus Imperialibus Dortmund et Goslar accipit, et per Comitem de Bunau ab Hamburgensibus menses Romanos exigit, sed nihil a civibus in hac re decimum. Breslavia scriptum 7. Julii: Rex cum aliis pluribus coenavit apud Episcopum Vratislaviensem et Cardinalem de Sinzendorf. 8. Julii idem Rex cum duobus fratribus suis et aliis interfuit concioni in Ecclesia Cathedrali Vratislaviensi habitatae a dicto Cardinali, cujus thema ex Psalmi CXXI. versu septimo et duobus sequentibus sumptum, scilicet: Fiat pax in virtute tua etc. Ipse rex ordinavit, ut in anno duae nundinae celebrentur Vratislaviae, item jussit per totam Silesiam fieri gratiarum actionem ob pacem initam cum Regina nostra. Ex iisdem novis Gallicis Vienna scriptum: Die 24. Praegae jussu Ducis de Bellisle publice mandatum, ut cives arma penes se non habeant, et occulta prodant sub poena mortis, item ut ante domus suspendant noctu lampades aut laternas et tunc nulli liceat domo exire et per fenestram prospicere aut ullum signum dare Austriacis aut pulsare campanas, item omnia praestare, quae imperantur, item nullum militem Gallicum aut Caesareum domo excipere, nisi habita ab officialibus licentia, uti et vinum crematum, cerevisiam et vinum post Zapfenstreich nocturnum nemini dandum, nec peregrinum domo excipere et facere conventus etc. En quam crudeliter Pragenses habeantur a Gallis. Item grandem Ducem Thusciae nolle acceptare in exercitu supremum imperium, et Comitem de Bellisle habuisse colloquium cum Comite nostro de Königseck. Vienna scriptum in novis Gallicis, Reginam nostram 13. Julii equitando (solet enim frequenter equitare, ut mihi dictum ab iis, qui viderunt, cum aliis nobilibus foeminis, in Schoenbrun abiisse. Item ejus maritum, qui in castris apud Pragam pro sua custodia 4000 milites habet, Viennam rediturum. Comes Sekendorf a Carolo VII ad Regem Porussiae mittitur. Hanovera scriptum, nostram Reginam gratias egisse Regi Britanniae ob procuratam pacem cum Porrusso. Francofurto, Abbatem Emaldi Fuldam abiisse, et quod Papa eo utatur ad reformandam disciplinam, et augmentum studiorum inter Catholicos Germaniae.

E novis Viennensibus impressis, Desertionem exercitus Bavarici ad nostrum tantam esse, ut, si continuaverit, ad quidvis contra nos conandum nimis infirmus sit futurus. Hoc scriptum Ratisbona. Norimbergenses cives nec cives neque curus Gallorum e Bohemia fugientes intra urbem admittunt. Quidam rusticus Bohemus, qui litteras a Bellisle Gallico Commendante ad concitandos Bohemos contra Reginam sparserat in vulgus, a nostris captus, capite truncatus, ejusque corpus in quatuor partes divisum, suspensum fuit. Item Galli in Frauenberg ab defectum victualium se nostris dedunt, fiuntque captivi. Croatae et Hussari 100 Gallorum turmam partim occidunt, et reliquam captivant, uno ex nostris occiso et uno vulnerato. Galli mirifice et inaudite se muniunt Praegae et stipitibus se circumdant; ut desertores aiunt, ingens inopia victualium. Viennae duo Postiliones urbem intrant cum nuntio, quod Mirandola (iuris Ducis Mutinensis, cuius pater cum toto Principatu ab Imperatore

emit) in Italia a nobis paucis diebus obsessa se dederit nostris, et praesidiarii milites facti sint captivi, 29. Julii: Vienna item 12 tormenta gravica cum curribus in Bohemiam abeunt. Praegae Varasdinenses nostri in insulam enantant, Gallorum 80 et aliquot occidunt, et 30 captivant.

Ex iisdem novis Viennensibus: Hispani et Neapolitani capta a nobis Mirandola jussu Regis Hispaniarum Bondeno, ubi castra sua habebant, 24. Julii abeunt, muros Ferarienses praetereuntes cum toto exercitu, et ultra retro pergentes, amissa fere dimidia parte sui exercitus, absque inito nobiscum proelio; causa hujus fugae creditur fuisse, quod Rex Neapolitanus exercitum suum revocaverit, metu utique invasionis futurae in Neapolitanum regnum. Dux exercitus Hispanici fuit Dux de Montemar, Neapolitani vero Comes de Castropignano. Recedentibus illis nostri Hussari in Ferariensem Ducatum pergunt, et post eos integer noster exercitus hostes persequitur.

29. Julii. Galli Pragenses ad pabulandum egressi a nostris repulsi sunt Hungaris, ex parte nostra 13 occisis, 87 vulneratis, uti et 110 equis, deperditis 37 hominibus, et equis 33. Hostium dicuntur 600 caesorum vulneratorum et captivorum. Galli a Pragensibus petunt 150.000 fl. nemine excepto, et ut omnes victualium suorum numerum et qualitatem indicent, idque sub poena capitis. In novis Gallicis dictum Generalem Festetisch e Silesia in Bohemiam cum suis copiis tendentem ad exercitum nostrum secum duxisse 10.000, verum antequam se conjungeret ei, 3000 Hussarorum nobilium inde in Hungariam recessisse. Item nostrum exercitum stantem ante Pragam constare 46.000. Angli in portu Tropez Galliae incendunt et vastant 5 naves Hispanicas. 9. Julii. Sueci in Finlandia appropinquantibus sub Duce pro Lasey Russis civitatem munitam Friderichsham vel Friderichshaven deserunt, et incendunt, longiusque inde fugiunt, quod et ex Suecia et variis litteris Russicorum Officialium in novis Gallicis relatum fuit. Russi urbem occupant, ibique tormenta multa bellica et duo vexilla Svecica cum multis praedis accipiunt. Ex exercitu nostro Bohemico 9. Augusti Galli ex urbe in nostrum equitatum vehementer eiaculati sunt, quare nostri longius recedunt; eodem die nostri hortum Mansfeldicum oppugnantes eundem cum Castello Troia capiunt et erectis aggeribus in hostem eiaculantur. Passavio scriptum: Baronem Trenk ex priore vulnere persanatum cum Panduris suis abiisse in Gravenau, hostes in Zwiesel in confinio Bohemiae aggressurum. Menzl cum suis Hussaris munitionem prope Schirling cum tormentis occupant, ubi simul 72 Bavari occisi.

E novis Viennensibus: In Bohemia prope Pragam a quodam lignorum caesore, cum arborem Erle dietam findere vellet, in medio ejus figuram Crucifixi ligno impressi reperit, quam rem quidam ad Ducem Lotharingiae attulit propter rei novitatem, cujus Crucifixi forma rudi aeri incisa prodiit. Factum id 25. Julii 1742. In Bavarico nostro exercitu continuae fiunt excursions et explorationes exercitus hostilis, item abductiones pecorum, captivationes hominum, et defectio hostium ad nos

nec non magni motus ac timor in castris hostilibus, testantibus desertoribus, item majora tormenta ex ejus castris versus Ingolstadt transvehuntur. Hostes tres naves in Danubio habent, et pro earum defensione tormenta in litore posita, quas ipsimet hostes, quod propter gravitatem dirigi facile non possent, incenderunt. Has naves ipsi nostris Tzaikissis opponere coacti sunt, qui unam navem hostilem maxima ex parte incensam ab hostibus in nostra castra retulerunt, cum istorum navibus non admodum nocere potuerint. Croatae tranant Danubium, rates hostibus ablaturi, pro qualibet ablata rata 6 fl. promissos a Comite Khevenhiller accipientes, quorum unus, cum vis et impetus ratem ad ripam hostilem impulisset, captus est ab hostibus, qui mirati sunt Croatarum in natando agilitatem. Generalis Minuzzi, dux Bavarorum, cum 5000 versus Landau apud Pilsting perexit et se ibidem munivit propterea, quod noster Menzl et hostes contra eum tormentis pugnarunt, et unum Lycanorum nostrorum occiderunt, neque nostri multum contra eos proficere potuerunt propter malam tempestatem et den angeschwollenen Morästen. 20. Julii. Baro de Bernklau 13 hostium captivavit, et insequente die Menzl 47 Bavaros desertores in nostra castra remisit. Bavari apud Landau se magis muniunt.

Articuli praeliminares pacis inter Reginam nostram et Regem Porussiae publicatae fuerunt in novis Gallicis. Inter has unus est, quo invitantur ad eam Imperatrix Russiae, Rex Daniae, Hollandi, Dux Wolfenbütl, et Rex Poloniae, qua Elector Saxoniae, cui postremo addita conditio fuit, ut post 16 dies, quum ei intimata fuerit invitatio, suos milites omnes a Gallis seiungat et ex Bohemia educat. Item Reginam nostram in perpetuum Regi Porussiae ejusque successoribus et haeredibus utriusque sexus cedere utramque Silesiam cum Comitatu Glacensi, exceptis urbe Troppau, et quodam districtu ultra fluvium Oppau, cum toto Principatu Teschen, et Dynastia Hennerstorf et Jaegerndorf. Contra Rex Porussiae cedit omnibus praetensionibus suis in Reginam nostram, ejus haeredes et successores utriusque sexus.

(Continuatur.)

## Das Collegium des hl. Anselm vor 200 Jahren.

Von P. Sultbert Baeumer in Maredsous.

Die „Studien“ haben im vorigen Hefte S. 102 das für unseren Orden so überaus huldvolle Schreiben Sr. Heiligkeit des Papstes Leo XIII an den hochwürdigsten Herrn Erzbischof von Catania in Sicilien, Benedict Dusmet O. S. B., veröffentlicht, durch welches der hl. Vater die Errichtung eines Benedictiner-Collegs oder vielmehr die Wiedereröffnung des im J. 1687 von Papst Innocenz XI durch die Bulle „Inscrutable“<sup>1)</sup> errichteten Collegium St. Anselmi in Aussicht

<sup>1)</sup> Bullarium Romanum ed. Cherubini. Romae 1734, tom. VIII, pag. 416 seq.